

carnisprivii. Nam hæc aliam habent originem. Nimirum juxta onomatologiam oriuntur a jejunio Pontificiorum, *DOMI Fasten* / quod *Jus Canonicum Decret. Dist. IV. cap. 4. p. m. 6.* inde usque a *Teléphoro*, urbis Romanæ Episcopo, deducit; a quo homines per quadraginta dies ante Pascha ab esu carnis abstinere jussi fuerint. Hinc Jejunium Quadragesimale, de quo vid. *Polyd. Verg. l. c. Lib. VI. cap. 3.* Sed præcedentibus diebus ante jejunium quadragesimale licitum fuit carnes edere, convivari &c. Hinc pedetentim addiderunt lasciviam variam ac petulantiam, uno subinde abusu pariente alium. Quid enim, obsecro, malitia hominum, five sint Ethnici, five Christiani, non invenit? De ejusmodi abusuum excessuumque origine nihil certi habemus: nisi quod *Gregorius ille Magnus*, Papa quondam Romanus, circa finem Seculi VI. in *Epistola ad Augustinum Angliæ Episcopum* aliqua de ejuscemodi perverfis hominibus habet, cujus excerpta legesis in *Jure Canon. Decret. Grat. Dist. IV. p. m. 6.* Inter alia sic loquitur: *Omnes Laici & Seculares illa die (Dominica Quinquagesimæ) plus solito cæteris diebus accuratius cibos carniū appetunt, & nisi nova quadam aviditate usque ad medias noctes se ingurgitent, non aliter se hujus sacri temporis (jejunii) observationem suscipere [posse] putant: quod utique non rationi, sed voluptati, imo cuidam mentis cæcitati adscribendum est; unde nec à tali consuetudine averti possunt; & ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne forte pejores existant, si a tali consuetudine prohibeantur.* Hujus *Gregorii M.* verba quoque citat *Guliel. Durandus*, in *Rationali divin. offic. Lib. VI. cap. XXVII. num. II.* *Solent*, ait, *nil homines magis intendere gula propter carnispriviam, quod immineret, de quibus dicit Gregor. dist. 4. denique, quod relinquendi sint suo ingenio cum venia.* Ex quibus patet, originem abuluum horum non esse immediate, simpliciter & absolute ex festo Bacchi Ethnico derivandam, sed potius ex Papatus tenebris redundare, & quidem ex jejunio quadragesimali, hocque antecedente nimia gula. Quando autem illi excessus vel abusus cœperint, quis dicet? Hujus-